

Der nachstehende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen:

Nunc argumenta eorum, qui contra disserunt, refellamus, quae Lucretius tertio libro exsecutus est.

‘quoniam cum corpore’, inquit, ‘anima nascitur, cum corpore intereat necesse est.’

at non est par utriusque ratio. solidum enim et comprehensibile corpus est et oculis et manu, anima vero tenuis et tactum visumque fugiens. corpus e terra fictum atque solidatum est, anima nihil in se concreti, nihil ponderis terreni habet, ut Plato disserebat. nec enim tantam posset habere sollertia, tantam vim, tantam celeritatem, nisi originem traheret e caelo. corpus igitur quoniam fictum ex ponderoso et corruptibili elemento et tangibile est et visibile, corruptitur atque occidit nec vim repellere potest, quia sub aspectum et sub tactum venit; anima autem quia tenuitate sua omnem tactum fugit, nullo 5 10 15 ictu dissolvi potest. ergo quamvis inter se coniuncta et sociata nascantur et alterum, quod est de terrena concretione formatum, quasi vasculum sit alterius, quod est a caelesti subtilitate deductum, cum vis aliqua utrumque discreverit, quae discretio mors vocatur, utrumque in naturam suam recedit. quod ex terra fuit, id in terram resolvitur, quod ex caelesti spiritu, id constat ac viget semper, quoniam divinus spiritus sempiternus est. denique idem Lucretius oblitus, quid adsereret et quod dogma defenderet, hos versus posuit:

‘cedit item retro, de terra quod fuit ante,
in terram, sed quod missum est ex aetheris oris,
id rursum caeli fulgentia templa receptant.’ 20

quod eius non erat dicere, qui perire animas cum corporibus disserebat; sed victus est veritate et imprudenti ratio vera subrepsit.

Hinweise:

1. Z. 1 *contra*: (gemeint ist:) gegen die Unsterblichkeit der Seele.